

In Tauriâ meridionali etiam obuia.

*Seminum* costae ad lentem minutissime crenulatae.

1624. *CREPIS hispida.*

*Synonyma* adde: *Barkhausia fetosa*. *Lamarck et Decand. flor. franc. n. 2951 et 6. suppl. p. 450.*

Tauriae quoque indigena.

*Semina* costis aspera, apice valde attenuata, potius brevissime stipitata, quare ad *Barkhausias* trahitur a *Decandollio loc. cit.* quibuscum *habitu* etiam conuenit.

1625. *CREPIS rhoeadifolia.*

Ad *Barkhausiam* pertinet, *pappo* longe stipitato gaudens; immo dubium intercedit, anne sit mera *Cr. foetidae* varietas; *foliis* magis dissectis.

402\*. *LAGOSERIS. Receptac. paleaceum: paleis capillaribus. Cal. calyculatus. Pappus pilosus, sessilis.*

1626\*. *LAGOSERIS nemauensis.*

*L. foliis runcinato-pinnatifidis, calycibus piloso-hispidis.*

*Crepis (nemauensis)* foliis runcinato-lyratis obtusis dentatis, scapo nudo subhispido multifloro, calycinis squamis margine membranaceis, receptaculis setosis. *Loisel. flor. franc. p. 525. Flor. taur. cauc. n. 1615. (cum synonymis.) Lam. et Decand. flor. franc. n. 2940. (sub Andryalâ.)*

Nostra floribus quidquam minoribus et calycinis squamis angustioribus a plantâ gallicâ aberrat.